



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, 1680**

79. An Superiores Regularium possint absoluere Nouitium ab  
excommunicatione incursa propter percussione[m] Clerici ante ingressum  
Religionis? Et quid est agendum, si postea talis Nouitius ita absolutus ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

sermo sit de sola levi percussione, ibi: eo casu, quo sa-  
culari Clerico posset, &c. ut intelligit Glossa ibidem: si  
Religiosus percussit ipsum Episcopum, vi ejusdem  
favoris in d. cap. Religio, concessi, non poterit (nisi  
ob aliquod rationabile impedimentum nequeat adire  
Papam) ab Episcopo absolvi; tum propter enormi-  
tatem talis percussione, tum quia Episcopus non ve-  
nit sub absolute appellatione Clerici in his, quæ in  
illius, vel totius Cleri favorem non redundant.  
Vide Suar. de cens. disp. 22. sect. 1. n. 74. & Bossium ubi  
supra, num. 196.

## RESOL. LXXVIII.

An Regularis percutiens Regularem alterius religionis  
sit absolvendus a proprio Prælati, si percussio non fue-  
rit enormis? Vel an sit necesse, ut Prælati ejus, qui  
passus est injuriam, ut eam condonet, ac penam in sa-  
tisfactionem definiat, sit præfens ad talem absolu-  
tionem?

Et an vero Prælati percussus ipsum percussorem verbe-  
rare debeat?

Et an talis Prælati possit delegare talem actionem ver-  
berationis?

Et quid faciendum est in eventu, quod Prælati discorda-  
verint in satisfactione imponenda?

Et quid est agendum, quando Regularis percutiat Regu-  
larem ejusdem Religionis, at diversi Monasterii?

Et notatur, quod hodie per specialia privilegia Prælati  
Regulares possint absolvere suos Religiosos ab excom-  
municatione propter iniectionem manuum violentam in  
Clericum, etiamsi sit Sedi Apostolica reservata. Ex  
p. 9. tract. 4. Resol. 50.

§. 1. **R**espondeo, quod si Regularis percutiat Re-  
gularem alterius Religionis, potest absolvi  
a proprio Prælati, quando percussio non fuerit enor-  
mis, præfente tamen Prælati ejus qui passus est inju-  
riam, ut eam condonet, ac penam in satisfactionem  
definiat, ut colligitur ex c. Cum illorum, de sent. excom.  
quod aliqui communiter ita intelligunt, ut, scilicet,  
Prælati illius, qui injuriam percussione intulit, jura-  
mentum recipiat, & absolvat & saltem semel percu-  
tiat delinquentem. At verò Prælati percussus, qui  
passus est injuriam, ipsum percussorem verberabit,  
eò, quia Prælati percussus satisfaciendum est de inju-  
ria illata suo subdito, & conventus percussoris non  
debet satisfactionem pro percussore suppeditare: non  
enim crimen subditi in detrimentum Monasterii ce-  
dere, nec retorqueri debet, argumento cap. Cum vene-  
rabilis, §. Intelleximus, de excep. Neque abs te erit, si  
alter Prælatorum in hoc casu vices suas alii commit-  
tat argumento cap. ultimi, de offic. Ordinarii, & cap.  
ultimi, §. Ceterum, de offic. delegati. Ex ea regula,  
quia quando Ordinarius potest absolvere ab excom-  
municatione, potest aliis absolutionem demandare,  
ut Covarruvias lib. 3. variar. cap. 20. n. 5. Menochius  
de arbitr. quest. 54. n. 43. Morla in Empor. juris civilis,  
part. 1. tit. 2. §. 17. n. 32. & Petrus Barbosa in l. Cum  
Prætor §. 1. num. 526. ff. de judiciis. Quod intelligitur,  
quando absolutio committitur Ordinario ex officio  
suo; non autem ex delegatione: tunc enim non po-  
test alteri delegare, ut dicto cap. ultimo, §. Ceterum, de  
officio delegati; ubi per delegationem commissum est  
nudum ministerium, quod alteri non potest delega-  
ri: secus in nostro casu ex cap. & Canone, Si quis sua-  
dente. In eventu autem, quod Prælati discordaverint  
in satisfactione imponenda: quia Prælati offensi  
acerbioris exigit, eà quam offendenti Prælati de-  
signat; eligendus est tertius arbiter, qui cum ipsi ju-  
diciū ferat; semper tamen absolutio, impositio, exe-

cutioque pœnæ Prælati offendenti, vix pote  
illius Superiori competere. Et hæc omnia docet Co-  
strus Palaus tom. 6. disp. 3. punct. 23. §. 4. n. 9. Layman  
lib. 1. tract. 5. part. 1. cap. 5. circa finem. Fragoles de Repub.  
Christi. tom. 2. lib. 1. disp. 2. §. 3. n. 55. Sayrus de cens.  
lib. 3. cap. 28. num. 11. Bossius in discept. mor. de juri  
discept. 1. dub. 19. num. 198. & alii penes ipsos.

2. Sed quid dicendum, quando Regularis percutit  
alium Regularem ejusdem Religionis; at diversi  
Monasterii, ut si v. g. Panormi, unus ex Domo S. Ioseph  
percuteret alium ex Domo S. Mariæ de la Cata-  
na? Respondeo cum Bordonio in cons. Regul. tom. 1. re-  
sol. 28. n. 47. quod in tali casu injuria sit Prælati offen-  
si: unde sine ejus consensu non debet absolvi percu-  
tiens: quod præcipue procedit quando absolutio da-  
tur a Superiori locali, non autem a Provinciali, vel  
Generali: nisi sint diversarum Provinciarum; data  
tamen aliis absolutio tener.

3. Notandum est tamen, ut dixi, quod hodie per  
specialia privilegia Prælati regulares possint absol-  
vere suos Regulares subditos ab excommunicatione  
propter iniectionem manuum violentarum in Cleri-  
cum, etiamsi sit Sedi Apostolicæ reservata; quod tra-  
dit Castrus Palaus to. 6. disp. 3. punct. 23. §. 4. n. 10. Bossius  
ubi supra, num. 197. & latè, & doctè Pater Bordonus  
n. 50. non obstantibus Decretis Clem. VIII. editis an-  
no 1601. & 1602. uno alterius declarativo in quo Pa-  
pa sibi reservat excommunicationem ob percussione  
Clerici, juxta Canonem, Si quis 1.7.4. juxta juris di-  
spositionem, id est quando percussio est mediocritas, &  
enormis; derogando quibuscumque privilegiis & Li-  
teris Apostolicis: quia illud est contra Confessores  
Regulares, qui prætextu suorum privilegiorum ab-  
solvant ab omnibus reservatis personas seculares:  
unde nihil contra nos, qui loquimur de absolutione  
inter ipsos Regulares exercenda: nihil ergo disposit  
de Regularibus, ut respondit S. Congreg.

## RESOL. LXXIX.

An Superiores Regularium possint absolvere Novitium  
ab excommunicatione incursum propter percussione  
Clerici ante ingressum Religionis?

Et quid est agendum, si postea talis Novitium ita absol-  
tus ab ista, vel quavis alia censura egrediatur à Reli-  
gione; an in illius reincidat?

Et quid est faciendum, si in prædictam censuram Censuram  
Novitius incurrit anno probationis, modo non sit  
percussio enormis? Ex p. 9 tract. 4. Resol. 51.

§. 1. **R**espondeo contra Tiraquell. de retract. lig. §. 1. non  
est dubium. Ita Layman lib. 1. tr. 5. part. 2. c. 5. in for-  
ne Sayr. de cens. lib. 3. cap. 28. n. 14. Alterius de cens. lib. 1. tract. 1. cap. 1. & alii communiter. Difficultas est, quid  
dicendum, si contingat Novitium, qui in hunc Ca-  
nonem incurrit, egredi à Religione, non dum facta  
Professione: Atten. p. 2. lib. 7. tit. 11. art. 5. §. 10. autumat  
reincidere in eandem excommunicationem; eò quia  
propter favorem Religionis, & propter temporale im-  
pedimentum absolutus fuit: atque ita præfente le-  
niter illi, qui alius eum posset absolvere, arg. cap. Eos  
qui de sent. excom. lib. 6. Sed Fragoles de Rep. Christi. tom. 2.  
lib. 1. disp. 2. §. 3. num. 55. placet, hanc doctrinam solum  
procedere in Novitio, qui ante Novitiatum contraxit  
excommunicationem Canonis, Si quis suadente, non  
autem, si in eam incurrit durate anno probationis, nisi  
percussio fuerit enormis: tunc enim si ante Profes-  
sionem egrediatur, debet se præfente illi, qui potest  
absolvere ab enormi. Nam ab incursum excommuni-  
catione tempore Novitiatu, quæ non erat propter  
enormem.

enormem lesionem contracta, fuit absolutus, & sine aliqua conditione absolutus: à censura autem contracta ante ingressum, & à censura propter enormem actionem fuit sub conditione, si perseveraverit in Religione, absolutus.

2. Sed negativam sententiam absolutè docet doctus Pater Bordonus in *consil. Reg. tom. 1. resol. 28. n. 56.* ubi querens, an Novitii ab hac censura, aut à quavis alia, seu casibus reservatis absoluti, si à Religione exeant, in illas reincident? respondet negativè, quamvis non se presentent Ordinariis, quibus alias de jure erant subiecti quoad reservationem. Quod procedit, sive absolvantur virtute Iuris *cap. Cum illorum, sive jure privilegiorum*. Primum probatur: quia *ibid.* simpliciter datur hæc facultas: nullo respectu habito ad perseverantiam, aut retrocessionem. Nec obstat *cap. Eos, qui 22. de sent. excomm. in 6.* quia dictum caput loquitur, quando quis absolvitur ab eo, qui non potest absolvere, nisi in casu mortis, aut alterius legitimi impedimenti; vt *ibidem* expressis verbis dicitur: in casu autem nostro nullum est huiusmodi impedimentum; & de aliis impedimentis dicitur *cap. Quod de his 25. de sent. excomm.* cum ergo neutrobique Novitiatus dicatur, neque sit ex huiusmodi impedimentis, cumque neque simpliciter sit impedimentum, nostræ responsioni obstat non potest citatum caput. Alterum, quod neque absoluti jure privilegiorum reincident, probatur: tum quia illis utuntur more Professorum, quibus sunt concessa simpliciter, & non sub conditione, si remanserint: tum, quia decet concessum à Principe beneficium esse mansurum: tum quia privilegia, in quibus fit mentio de ipsis Novitiis, non ponunt clausulam reincidentiæ, nisi privilegium Clem. IV. relatum à Rodriquez *tom. 1. q. 20. art. 21* ubi ponit reincidentiam solum, quando absolutus fuit ante ingressum, & receptionem Habitum, & non intravit mox Ordinem; quare, stando in rigore verborum, cum jam Habitu indutus absolvatur, vel si jam absolutus egrediatur de facto, & ante Professionem retrocedat, non reincident, quia illa reincidentia ibidem spectatur ex fraudulentia ejus, qui fingit se velle fieri Religiosum, vt præcisè absolvatur, fraus enim, & dolus nemini debent patrocinari. Compend. *resol. 3. num. 12.* dicit, quod non reincident, si absolvantur virtute privilegii Clement. VII. concessi Prædicatoribus, vel Pauli III. Societati Iesu. Hæc omnia Bordonus.

3. Verum absolutè sententiam affirmativam circa præsentem difficultatem tenet Castrus Palas *tom. 6. diff. 3. punct. 23. §. 4. n. 10* ubi sic ait: [Verum, si Regularis non Regularem, sed sæcularem Clericum percutiat, non à suo Prælato præsentem Episcopo, sed ab ipsomet Episcopo tantum absolvi poterit, modò percussio levis fuerit. Sicuti deciditur *cap. Religiosi, de sent. excomm. in 6.* juncto *cap. Cum illorum, eodem tit.* Novitius verò, si ante ingressum, sive post, percussus Religiosum, vel Clericum sæcularem, absolvi poterit ab eodem Prælato, à quo alii Religiosi ejusdem domus possunt; quia in favorabilibus nomine Religiosi comprehenditur: vt adnotatur in *cap. Cum illorum, de sent. excomm.* hoc tamen discrimine: nam Novitius, si ante Professionem à Monasterio egrediatur, obligatus est Sedi Apostolicæ se presentare; alioquin in similem excommu-

cationem incidet, juxta *cap. Eos qui, de sent. excomm. in 6.* quia ob temporale impedimentum, scilicet, ne vagaretur, concessa illi fuit absolutio. Ita Palas, cui etiam adde Sayrum *de censur. lib. 3. cap. 28. n. 13.* Molina *disp. 60. n. 13.* & Layman *lib. 1. tract. 5. part. 2. cap. 5. in fine.* Et huic opinioni ego magis adhæreo, quam, præter Doctores citatos, tenet etiam Bossius in *discept. mor. de juris discept. 1. dub. 19. num. 192.* Dico igitur, quod si ab excommunicatione, de qua loquimur, Novitius absolutus à Prælato Religionis intra annum egrediatur non emissâ Professione solemnî, reincident in eandem excommunicationem, nisi se presentet ei, à quo fuisset absolvendus, nam propter favorem Religionis, & sic propter temporale impedimentum absolutus fuit: unde remanet onus se presentandi.

# RESOL. LXXX.

An virtute Bullæ Cruciatæ possint absolvi percutientes, etiam enormi percussione?  
Et inferius absolutionem virtute Bullæ Cruciatæ à censuris à jure latis valere etiam in foro exteriori, & judiciali. Ex p. 9. tract. 4. Ref. 17.

§. 1. R Espondeo affirmativè, vt alibi satis probavi; & ita, me citato, hanc sententiam novissimè tenet doctus Pater Hieronymus Garcias in *Summ. mor. tract. 1. diff. 3. dub. 2. punct. 5. n. 41.* ubi sic ait: [Un peligro de muerte, y à fortiori en el articulo, qualquier Confesor puede absolver de qualquier percussion, aunque sea homicidio; però si escapa, ha de de presentarse, salvo si se absolvió virtute Bullæ Cruciatæ, que en tal caso no ay obligacion de presentarse, porque el poder que dà la Bula, es absoluto, y no condicionali; y en virtud de la Bula, de la Cruzada puede qualquier Confesor absolver à qualquier percursor de Clerigo oculo, aunque sea la percussion grave, saltim *semel in vita*, y *semel in articulo mortis*, y en opinion de Diana, Sanchez, y Trullench, *roties, quoties*, saltim *in foro conscientia*. A la clausula, *semel in vita*, & *semel in articulo mortis*, responde Diana *tract. 11. citato, ref. 28.* y añade, que aunque el percursor sea publico, y su percussion *se deducta ad forum contentiosum*, se puede absolver in foro conscientia, si bien en semejante caso en lo exterior por el escandalo, auria de portarse como à excomulgado; però podria ocultamente oyr Missa; y recibir los Sacramentos; y finalmente concluye en dichos lugares con estas palabras: *Vnde inferitur, absolutionem virtute Bullæ Cruciatæ à censuris à jure latis, valere etiam in foro exteriori, & judiciali.*] Hucusque Garcias. Vide etiam Machadum *tom. 2. lib. 1. part. 3. tract. 8. docum. 4. num. 5.* Trullench in *Bull. Cruc. lib. 1. §. 7. cap. 2. dub. 5.* & Ludovicum à Cruz *disp. 1. cap. 3. dub. 14.*

Alibi in Ref. que nunc est in to. 4. tr. 3. Ref. 62. per tot. & sup. contento in hac Ref. ibi in §. ult. & pro parte in Ref. 63. & 64. & in aliis casu annot.

Quæ nunc est in to. 4. tr. 1. Ref. 38. Sed ibi lege doctrinam Ref. 62. pro parte hujus quest. & Ref. & 55. ejus primæ not. & si va- cas otio lege eam per totam, & alias ejus notatio- num.

In Indice primo hujus Tom. 5. Vide alias paucas quas. missas, & Dispersas per alios Tom. Tract. & Ref. quas invenies ibi in Apendice ad hunc Tract. 2. de Censura ob Percussione Clerici, &c.